




reciprochè æquè litteris ac corde possem demonstrare, me nullo modo inferiorem haberes; nunc hæret aqua.

Oblongum folium posset à *Lanceolato* accuratiùs distingui; sed debemus etiam habere ideam alicujus oblongi, quod latiùs sumi queat, ne hæreamus dùm specialissimam figuram indicare nolimus. Possis fortè assumere parabolidis figuram, vel simile.

Deltoïde à delta \triangle Græcorum sumsi cum Dillenio et aliis; nolui iterum condere novum terminum, ubi antiquior sufficiebat.

Cuneiformi idea mihi est ubi  duæ lineæ *a c* coeunt in angulum acutum *b*, absque respectu ad *ea figura* (sic) quæ fit inter *a* et *c*, quam non curo.

In *Jasmino aculeato* et nobis et Hollandis eadem figura .

Ego nolui extendere *Rumbi* vel *Rhumboidis* figuram ad alia folia, quàm quæ à latere angulum haberent  uti in *Halimo*.

Rotundi figuram vanè sumi novi; *Ovalum* mihi erat quòd ovi figuram (licèt planam) gerit, et *Ovale* cujus altera extremitas non magis acuta vel coarctata quàm altera.